

Universitätsbibliothek Wuppertal

Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia

Cum Andreae Schotti ad veterum exemplarium fidem castigatione: Cuius libros pagina sequens exhibet - Adiectus est rerum memorabilium Index locupletissimus

Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>

Genevæ, [1646]

Excerpta quædam e libris Senecæ

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1515)

purus amulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Quod ergo in te bonum est? Perfecta ratio. Hanc tu ad summum finem euoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nasceretur. Cum in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis. Breuem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias. Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices.



EXCERPTA QVÆDAM
è libris Senecæ.



HONESTA, inquit Epicurus, res est paupertas læta. Illa vero iam paupertas non est, si læta est. Cui cum paupertate bene cõuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum pascat aut sceneret, si alieno imminet, si nõ acquisita, se acquirenda concupiscit? Quis sit diuitiarum modus quæris? primo habere quod necesse est: secundum quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad eius amissionem præparatus est animus. Magnæ diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem naturæ, scis quos terminos nobis statuit? Non sitire, non esurire, non algere. Vt famem sitimque depellas, non est necesse mariarentare, nec castra sequi: parabile est quod natura desiderat, & cito apponitur. Ad superuacua sudatur. Illa sunt quæ togam terunt, quæ nos senescere cogunt, quæ in aliena litora impingunt. Ad manum est quod satis est. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Miser est, qui se bea-

tiffimum non iudicat, licet toti mundo imperet. Non est
 beatus, qui se id non putat esse. Nihil habemus, quod
 cum magno emolumento insidiant, eripi possit. Quam
 minimum in corpore tuo sit spoliatorum. Nemo ad huma-
 num sanguinem venit propter ipsum, vel admodum pau-
 ci. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via paupe-
 ri pax est. Is maxime diuitiis fruitur, qui minime indiget.
 Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opinio-
 nem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, immen-
 sum opinio. Si congeratur in te quicquid multi locuple-
 tes possederunt, si vltra priuatum pecunia modum fortuna
 te prouehat, auro tegat, purpura vestiatur, eo deliciarum
 opumque perducatur, vt terram marmoribus abscondas, non
 tantum liceat habere, sed calcare diuitias: accedant statuae
 & picturae, & quicquid ars vlla luxuriae auro & argento elab-
 orauit, maiora cupere ab his discas. Desideria naturalia,
 finita sunt: ex falsa opinione nascentia, vbi desinant non
 habent. Nullus enim terminus falso est. Veritati aliquid
 extremum est: et non immensus est. Retrahe te ergo a vanis:
 & cum voles scire, an naturalem, an vanam habeas cupidi-
 tatem, considera num alicubi constat. Si longe progresso
 semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse.
 Paupertas expedita, secura est. Cum classicum cecinit, scit
 non se peti: cum aliquo conclamatum est, quomodo exeat,
 non quid efferat, quaerit. At cum nauigandum est, non stre-
 pitu portus, non vnus comitatu inquieta sunt litora. Non
 circumstat illum turba hominum, ad quos pascendos trans-
 marinatum regionum optanda est fertilitas. Facile est pas-
 cere paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desi-
 derantes quam impleri. Paruo fames constat: magno fasti-
 dium. Paupertas contenta est desiderii instantibus satis-
 facere. Sanus diues est, qui licet habeat diuitias, eas tamen
 vt fugientes habet. Quid ergo est, quare recuses eam con-
 tubernalem, cuius mores sanus diues imitatur? Si vis vacare
 animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non
 potest fastidium salutare fieri sine frugalitatis cura. Fruga-
 litas, paupertas voluntaria est. Perpeffi sunt multotiens
 exercitus inopiam omnium rerum. vixerunt herbarum ra-
 dicibus, & dictu saedam tulerunt famem. Et haec omnia per-
 peffi sunt pro regno, quo magis mireris, alieno. Dubitabit
 aliquis

aliquis ferre paupertatem, vt animum à furoribus liberet? Multis diuitias paralſe, non ſinis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Nec hoc mitor. Non in rebus vitium, ſed in animo ipſo eſt. Illud quod paupertatem grauem nobis fecerat, & diuitias graues faciet. Quemadmodum nihil refert, vtrum ægnum in lecto ligneo, an in aureo colloces; quocumque illam tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: ſic nihil refert, vtrum æger animus in diuitiis an in paupertate ſit: malum ſuum illum ſequitur. Ad ſecuritatem non eſt opus fortuna. Quod enim neceſſitati ſat eſt, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, ſi ſciamus quam non ſit graue pauperes eſſe. Incipe cum paupertate habere con-
tabernium.

*Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.*

Non alius dignus Deo eſt, niſi qui opes contempſit. Quare poſſeſſiones tibi non interdico, ſed efficere volo, vt illas intrepide poſſideas. Quod vno conſequeris modo, ſi te etiam ſine illis bene victurum ſperaueris: & ſi illas tanquam exituras aſpexeris. Diſcedat quiſquis non te, ſed aliud in te ſequebatur. ob hoc vnum eſt amanda paupertas, quod à quibus ameris, oſtendit. multum eſt, non corrumpi diuitiarum conturbatio. Magnus ille eſt, qui in diuitiis pauper eſt. Nemo naſcitur diues. Quiſquis exit in lucem, iuſſus eſt pane & lacte eſſe contentus. Ab his initiis regna nos non capiunt. Panem & aquam natura deſiderat. Nemo ad hæc pauper eſt. Intra quæ ſi quis deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas eſt, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum, non in vno genere. Alios in cultum irritat, alios in potentiam; alios inflat, alios mol-
lit. Si vis ſcire quam nihil mali ſit in paupertate, compara inter ſe vultum pauperis & diuitis. Sæpius pauper & fidelius ridet: nulla ſollicitudine concutitur, in alto eſt. Cura velut nubes leuis tranſit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt: huic grauis & ſuprema ſuperbia, licet non palam, triſtitia eſt: eo quidem grauior, quod in-

¶ Erdum non licet palam esse miseris, sed inter arumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Abstrahunt à recto diuitiæ, honores, potentia, & cetera; quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus aestimare res de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quod mentes nostras in se trahat præter hoc quod mirari illa consueuimus. Non enim quia concupiscenda sunt, laudantur: sed quia concupiscuntur. Hanc præcedentem causam habent diuitiæ. Mutant animos, superbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam trahunt, eo usque mentem alienant ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona omnia culpa catere decet: pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant: extollunt quidem amicos & delectant, sed sine rumore. Quæ bona sunt, fiduciam faciant, diuitiæ audaciam. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant, diuitiæ insolentiam.



EXCERPTA ALIA.

¶ I C E T cunctorum poetarum carmina gremium tuum semper illustrent, aliquando deliberans hoc tibi opusculum pro accideatibus casibus dirigere curauit, quod non præcedentes, sed posteri narrabunt. Vnde ergo primum incipimus? Si tibi videtur, à morte. Ab ultimo, inquis: immo à maximo. Ad hoc præcipue gens humana contremit: nec immerito tibi videtur hoc facere. Ceteri timores habent aliquem post se locum: mors omnia ascendit. Alia non torquent: mors omnia deuorat. Omnium quæ horremus, ad hanc exitus spectat aliorum quæ per circuitum. Etiam qui alioqui se nihil timere iudicant, hoc timent. Quicquid aliud extimescimus, habet aut remedium, aut solacium. Sic ergo te forma, ut si quis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas eius deludas.

Morieris. Ista hominis natura est, non poena. Morieris. Hac conditione intraui, ut exirem. Morieris. Gentium ius est, quod acceperis, reddere. Morieris. Peregrinatio est
vita.

vita. Multum cum deambulaueris, domum redeundum est. Morieris. Putabam te aliquid noui dicere. Ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Nascenti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo quod indignor? In hæc verba iuravi. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis. Istud non effugit, etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris. Hic est humani officij finis. Quis sanus exauctorari moleste tulit? Quo transit orbis, ego transibo. Ad hanc conditionem cuncta gi- gnuntur. Quod cœpit, & desinit. Morieris. Nihil graue est, quod semel est. Æs alienum meum noui. Hoc equidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. Morieris. Dij melius. Nemo hac re melius mortalibus mi- nari potest.

Sed decollaberis. Quid interest, vtrum casim moriat, an punctim? Sed sæpe ferieris, & multi in te gladij concurrent. Quid refert quam multa sint vulnera? Non potest amplius quam vnum esse mortiferum.

Peregre morieris. Vndecunque ad inferos vna via est. Peregre morieris. Ego quod debeo soluere paratus sum. Videat scenerator, vbi me appellat. Peregre morieris. Nulla terra est aliena mortuo. Peregre morieris. Non est grauior foris quam domi somnus. Peregre morieris. Hoc est, in patriam sine viatico peruenire.

Sed iuuenis morieris. Optimum est antequam optes, mori. Iuuenis morieris. Hoc vnum est, quod æque ad iuuenem quam ad senem pertinet. Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum. Et adolescentes & impuberes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori, cum iuat viuere. Iuuenis morieris. Quicumque ad extremum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. Iuuenis morieris. Fortasse alicui malo subducit me fortuna: si nulli alij, vel senectuti. Iuuenis morieris. Non refert, quot annos habeam, sed quot acceperim. si plus viuere non possum, hæc est senectus mea.

Insepultus iacebis. Quid aliud respondeam, quam illud Maronis:

Facilis iactura sepulchri.

Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis infestipulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Insepultus iacebis.

Caelo cogitur, qui non habet urnam.

Quid interest, ignis me an fera consumat, an tellus omnium sepultura? Istud non sentienti superuacuum est. sentientis onus. Insepultus iacebis. At tu combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu euisceratus & constrictus, at traditus lapidi, qui te paulatim edat & exsiccet. Nulla est sepultura. non sepelimur, sed proicimur. Non sepelietis. Quid inter turissima trepidas? Ultra poenarum omnium terminum iste locus est. Vitæ multa debemus, morti nihil. Non defunctorum causa, sed viuorum, inuenta est sepultura, ut corpora & visu, & odore fæda amonerentur. alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus.

Egrotō. Venit tempus quo experimentum mei caperem. Non in mari tantum aut in prælio vitæ fortis apparet. Exhibentur etiam in lectulo virtus. *Egrotō.* Non potest istud toto sæculo fieri. Aut ego febrem relinquam, aut ipsa me. Semper vna esse non possumus. Cùm morbo mihi res est: aut vincetur, aut vincet.

Male de re loquuntur homines. Sed mali. Moueret, si de me Marcus Cato, si Lælius Sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur. Moueret, si iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, sed de se. Male de re loquuntur. Bene nesciunt loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod soleat. Quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.

Exulabis. Erras: cum omnia fecerim, patriam meam transire non possum. Omnium vna est. Extra hanc, nemo proficisci potest. *Exulabis.* Non patria mihi interdicitur, sed locus. In quacumque terram venio, in meam venio. Nulla terra exilium est, altera patria est. Non eris in patria. Patria est, vbiunque bene est. Illum autem per quod bene est in homine, non in loco est. In ipsius potestatem

testare est, quæ sit illi fortuna. Si enim sapiens est, peregrinatur: si stultus, exulat. Exulabis. Hoc dicis; alterius loci ciuitate donaberis.

Dolor imminet. Si exiguus est, feramus; leuis est patientia: Si grauis est, feramus: non leuis est gloria. Dolor clamorem exprimat, dum secreta non exprimat. Non potest homo par dolori esse, nec rationi dolor. Dura res est dolor: immo tu mollis. Pauci dolorem ferre poterunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam infamare nolite. Illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem, Quid quod ille sequitur fugientes?

Paupertas mihi grauis est. immo tu paupertati. Non in paupertate vitium est, sed in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta. Pauper sum. Nescis te opinione, non re laborare. Pauper es, quia videris. Pauper sum. Nihil deest auibus. Pecora in diem viuunt: feris ad alimenta solitudo sua sufficit.

Non sum potens. Gaude: impotens non eris. Iniuriam accipere potero. Gaude: facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum iudicas? arca est. Quis æratio, quis plenis oculis inuidet? Et iste quem dominum pecuniæ existimas, locus est. Multum habet. Vtrum avarus, an prodigus est? Si avarus, non habet: si prodigus, non habebit. Iste quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat: Multi illum comitantur. Mel mulcæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ. Prædam sequitur ista turba, non hominem.

Pecuniam perdidisti. Fortasse te illa perdidisset. Pecuniam perdidisti. Sed habuisti. Pecuniam perdidisti. Sed habebis fide periculi minus. Pecuniam perdidisti. O te felicem, si cum illa auaritiam perdidisti! Sed si manet illa apud te, es tamen utcumque felicior, quod tanto malo materia subducta est. Perdidisti pecuniam. & illa quidem quam multos. Eris nunc in via expeditior, domi tuior. Non habebis, sed non timebis heredem. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore loco posuit. Damnum putas? remedium est. Desles, gemis, miserum te clamitas, quod opibus excussus es. Teo vitio ista tibi iactura tam tristis est. Non tam moleste ferres, si tanquam perditurus habuisses. Perdidisti pecuniam, nempe quam vt tu haberes, alius ante perdididerat.

Oculos perdidit. Habet & nox suas voluptates, Oculos perdidit. Quam multis cupiditatibus via incisa est? quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiae esse: coecitatem. Huic oculi adulterium monstrant; huic incestum, huic domum quam concupiscat: huic urbem, & mala omnia. Certe irritamenta sunt vitiorum, duce'que scelerum.

Amisi liberos. Stultus es, qui desideas mortem mortali-um. Quid istud aut nouum, aut mirum est? Quam rara est sine isto casu domus? Quid si infecilem voces arborem, quod stante ipsa cadunt poma? Et hic tuus fructus est. Nemo extra ictum vulneris positus est. Ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur & ex regia. Non est idem orde fati, qui & aratis. Non quomodo quisque venit, emittitur. Quid tamen est quod indigneris? Quid contra expectationem tuam eueat? Periere perituri. Sed ego illos superstites optabam. Verum hoc nemo tibi promiserat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cuius essent magis quam tui: apud te precatio morabantur. Educandos tibi fortuna mandauerat. recipit illos, non abstulit.

Naustagium feci. Cogita, non quid perdidideris, sed quod euaseris. Nudus exi. Sed existi. Omnia perdidit. Sed perire potuisti vna cum omnibus.

In latrones incidi. Sed alius in accusatores, alius in fa- res, alius in fraudatores. Plena est insidiis via. Noli con- queri quod incideris, gaude quod euaseris. Inimicos gra- ues habeo. Quomodo aduersus feras munimenta conqui- ris, quomodo aduersus serpentes: sic aduersus inimicos au- xilia circumspice, quibus illos aut arecas, aut compescas, aut, quod optimum est, places. Inimicos habeo. Illud est peius, quod amicos non habes.

Amicum perdidit. Iam enim te habuisse certum est? Ami- cum perdidit. Alium quare: & ibi cum queras, ubi inuenire possis. Quare inter liberales artes, inter honesta & recta officia: quare in laboribus. Ad mensam ista res non quaerit- ur. quare aliquem frangi. Perdidit amicum. Fortem ani- mum habe si vnum: erubescere, si vnicum. quid tu in tanta tempestate ad vnam ancoram stabas?

Vxorem bonam amisi. Vtrum inueneras bonam, an fe- ceras? Si inueneras, habere adhuc te posse ex hoc intelli- gas li-

gas licet, quod habuisti: Si feceras, bene spera. Res periire
 saluus est artifex. Amisi vxorem bonam. Quid in illa pro-
 babas? Pudicitiam? Quam multæ diu custoditam perdi-
 dere? Decus? Quam multæ inter probatas matronalis ordi-
 nis, esse cœperunt postea inter exempla mutatarum? De-
 lectabat te fides eius? Quam multas ex optimis coniugi-
 bus pessimas videmus, ex diligentissimis solutissimase?
 Omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen
 muliebris, in lubrico est. Si bonam vxorem habuisti, non
 potes affirmare in eo illam permanuram fuisse proposito.
 Nihil tam mobile quam fceminarum voluntas, nihil tam
 vagum. Nouimus veterum matrimoniorum repudia, & fœ-
 diores diuortio, male cohærentium rixas. Quam multæ
 quos in adolescentia amauerunt, in communi reliquere
 senectute? quoties anile diuortium risimus? quam multa-
 rum notus amor odio notiore mutatus est? Sed hæc & fuit
 bona, & fuisset, si vixisset. Mors effecit, at affirmare id sine
 periculo nõ possis. Bonam vxorem amisi. Inuenies, si nihil
 quæris, nisi bonam. Tu modo ne imagines proauósque re-
 spexeris, nec patrimonium, cui iam ipsa nobilitas cessit. Ita
 diu cum forma non repugnabunt. Facilius reges animum
 nulla vanitate tumentem. Non multum abest à contem-
 ptu, quæ se nimis suspicit. Duc bene institutam, nec ma-
 ternis inquinatam vitiiis. Non cuius auriculis vtrinque bi-
 na patrimonia dependeant. Non quam margaritæ suffo-
 cent, cui minus sit in dote quam in veste: quam in patente
 fella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque
 vt maritus aspexerit: cuius sarcinis domus sit angusta. Hanc
 facile ad tuos mores rediges, quam nondum corruperuat
 publici. Vxorem bonam amisi. Non erubescis flere, & into-
 lerabilem vocare iacturam? Hoc vnum deest, verum illam
 iugeas an non. Cum maritum te cogitaueris, cogita & vi-
 rum. Amisi vxorem bonam. Soror bona non potest recu-
 perari, nec mater. Vxor aduentitium bonum est: non est in-
 ter illa quæ semel vnicuique contingunt. Amisi vxorem
 bonam. Multos tibi numerare possum, quibus bonam vxo-
 rem lugentibus successit melior.

Mors, exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia; sed tri-
 buta viuendi. Neminem illæsum fata transmittunt. Felix
 est, non qui aliis videtur, sed qui sibi.